

### Version latine n°4 : le salaire du coiffeur

*Empereur de 361 à 363, Julien rétablit la discipline parmi le personnel du palais, dont les mœurs sont devenues bien trop dissolues...*

Pasti enim ex his quidam templorum spoliis et lucra ex omni odorantes occasione, ab egestate infima ad saltum sublati diuitiarum ingentium, nec largiendi nec rapiendi nec absumendi tenuere aliquem modum, aliena inuadere semper adsuefacti. Vnde fluxioris uitae initia pullularunt et periuria et nullus existimationis respectus, demensque superbia fidem suam probrosis quaestibus polluebat. Inter quae ingluuiies et gurgites creuere praerupti conuiuorum et pro uictorialibus epulares triumphi ususque abundantes serici et textiles auctae sunt artes, et culinarum sollicitior cura, et ambitiosa ornatarum domorum exquisita sunt spatia, quorum mensuram si in agris consul Quintcius<sup>1</sup> possedisset, amiserat [...] gloriam paupertatis.

Quibus tam maculosis accessere flagitia disciplinae castrensis, cum miles cantilenas meditaretur pro iubilo moliores ; et non saxum erat ut antehac armato cubile, sed pluma et flexiles lectuli, et grauiora gladiis pocula (testa enim bibere iam pudebat), et quaerebantur aedes marmoreae, cum scriptum sit antiquitatibus Spartanum militem coercitum acriter, quod procinctus tempore ausus sit uideri sub tecto. Adeo autem ferox erat in suos illis temporibus miles et rapax, ignauus uero in hostes et fractus, ut per ambitiones otiumque opibus partis, auri et lapillorum uarietates discerneret scientissime, contra quam recens memoria tradidit. Notum est enim sub Maximiano Caesare<sup>2</sup>, uallo regis Persarum direpto, gregarium quandam sacculum Parthicum in quo erant margaritae repertum, projectis imperitia gemmis abisse, pellis nitore solo contentum.

Euenerat iisdem diebus ut ad demendum imperatoris capillum tonsor uenire praeceptus introiret quidam ambitiose uestitus. Quo uiso Iulianus obstupuit : « Ego », inquit, « non rationalem iussi, sed tonsorem acciri ». Interrogatus tamen ille quid haberet ex arte compendii, uicenas diurnas respondit annonas totidemque pabula iumentorum [...], et annum stipendum graue, absque fructuosis petitionibus multis. Vnde motus, omnes huius modi, cum cocis similibusque aliis, eadem paene accipere consuetos, ut parum sibi necessarios, data quo uelint eundi potestate, proiecit.

Ammien Marcellin

---

<sup>1</sup> L. Quintcius Cincinnatus (V<sup>e</sup> s. av. J.-C.), modèle notoire d'humilité, revenu à la culture de la terre après son retrait de la vie politique.

<sup>2</sup> Maximien Galère, empereur cinquante ans avant Julien.